

Maricens olim P. MARO poeta optimus maximus, librum æneidos, quem tunc forte in manibus habebat, testamento cremandum reliquit indignum opinor existimans opus imperfectum, & cui non dum suprema manus imposita foret, ad posteros peruenire. Durum id, atq; difficile usum diuo OCTAUIO fuit. Hinc enim supremae uoluntati parere iusq; fasq; suadebant, illinc commiseratio quædam tot laborum, uigiliarumq; et communis iactura, ne id faceret, hortabatur. Tandem uero pietati potius in diuinum uatem, ac commodo posteritatis, quam legum seueritati indulgendum ratus, in hæc uerba prorupit, Frangatur potius legeri ueneranda potestas, Quam tot congestos noctesq; diesq; labores hausserit una dies, iuuat MARO doctus ubiq; Ingratusq; sibi, studiorumq; inuidus orbi. Laudetur. uigeat. placeat. relegatur. ametur. Idem mihi nunc uis uenit Federice imperator. Nam cum iam supra quintum annum Pomponius Fortunatus uir seculo nostro doctissimus, et Romanae academiae princeps, ac pleriq; alij studiosi uiri Nicolaum Perottum Syponi Pontificem patruum meum hortati essent, ut M. VALERIUM MARTIALEM optimum quidem poetam, sed uitio librariorum infinitis penè erroribus plenam pro communi studio sanè utilitate emendandam suscipere agressus est. ille hanc prouincia libens, et corollariu addidit. Et enim lepidissimum poetam non modo emendauit, sed etiã interpretatus est. In qua re haud facile dictu esset, quos sustinuerit labores, quot noctes insomnes duxerit, quot graecorum simul, ac latinorum omni disciplinae generum uolumina euoluerit, tum propter multitudine rerum, ac reconditarum in hoc poeta uarietate, quarum etiam uocabula uix, aut nullo modo intelligi poterant, tum propter magnitudinem errorum, quos emendare ferè supra uires hominis fuit, tum uero in primis, quod non est in eo opere communem interpretum more secutus. Sed ita hunc poetam exposuit, ut ne uerbum quidem reliquerit intactu, uisusq; planè fuerit non unum poetam, sed uniuersam linguam latinam uelle interpretari. Omne tamen difficultatem superauit studiũ, et diligentia hominis, quiq; omnia uincit in probus labor, et lem̃q; post tot epotas lubricationum fuligines hunc poetam reddidit, ut qui supra octingentos annos a nemine fuerat intellectus, iam ab adolescentibus quoq; uel mediocriter eruditus possit intelligi. Verum nullis unquam precibus, nullis amicorum illecebris, quæ etiam nullis comitijs adduci potuit, ut lubricationes suas in lucem proferret, emendari, dumtaxat a suo cæteros codices passus est, plura et loca cognitiu difficulta querentibus aperuit, edere commentarios noluit. Cuius consilij sui rationes afferebat huiusmodi. Si opus ederet, non desueros qui se reprehederent, quod iam et ætate grandior, et dignitate pontifex ad studia poetarum, a quibus ante uiginti annu se ad caelestem philosophiam transtulerat, nunc temere uideretur reuersus. tum multa esse apud hunc poetam uulgi iudicio obscena, quæ interpretari pontificem indecens putaretur. Quandoq; sunt nonnulli, qui legere et Martiale nefarium censent. Ad hæc non eo animo scriptes a se commentarios, ut proferrentur in lucem, sed sua causa dumtaxat, ut quæ tanto studio, labore, uigilijs inuestigauerat, quoties opus esset haberet in promptu. Itarco non modo hinc, atq; hic plenos esse totius sui codices margines, sed multa quoq; a se seorsum non breuiter, et carptim, ut interpretum mos est, uerũ longe, diffuseq; conscripta sepe etiã ex libris authorum, qui graecæ, latinæq; scripserunt, ferè ad uerbum sumpta, quæ si edi oporteret, in grande nimis uolumen opus excresceret, nec tam unius poetæ quã totius lingue latinæ interpretatio uideri posset. Non deerat autem et eas rationes ut infringeret, nequaquam turpe esse pontificem emendare, atq; interpretari eum librum, quæ non puduit sanctissimum Hieronymum non modo lectitare, sed et testimonio eius plerumq; inter sacras literas uti. Contendendum præterea uulgi iudicio, cuius mos est damnare, quæ nescit. Nihil a pud hunc poetam esse non religiosum, et sanctum reprehendi ab eo obscenitate quadã uerborum uicia, non haudari, ut mos eorum est, qui hodieq; in templis concionantes, quos uulgo prædicatores uocant, quod si hunc legere nefandum sit, certe non minus illos audire. Nemine profecto non modo ex poetis, sed ex omnibus latinæ lingue authoribus eligi potuisse, in quo tanta esset et uocabulorum, et sententiarum, et rerum omnium copia, tanta ubertas, tanta uarietas. Postremo breuitatem tantum ibi custodiendam esse, ubi causa postulat. Alioquin præuariatione esse transire, quæ necessaria, et utilia sunt, aut quæ in culatæ, infigere, reprobare oportet, cursim, breuiterq; attingere. Commentarios huiusmodi eo meliores esse, quo longiores, ut inter Demosthenis et M. Tullij orationes eæ feruntur optimæ esse, quæ maximæ. Ob id uero in primis ex peti quod non modo multarum rerum cognitione habeant, sed planè omnem latinã linguã comprehendere uideantur, nec propterea minus probandos, si qua in ijs ex alijs probatissimis authoribus sumpta sunt. Quã od quidẽ optimi quicq; scriptores idẽ fecere, Ita deniq; dispositos esse, atq; ordinatos, ut non sit necesse aliquos perlegere, sed tantũ quicq; ex ijs querere possit, quãtũ concupierit. Et quod quicq; quaesierit, facile inuenire. illud et pleriq; addebant, nisi commentarios ederet, existimatuos omnes, uel non recte eum esse iudicij, uel inuidere gloriae suæ, inuidere praesentiu, posteriorumq; utilitati. At surdo fabula canebatur. Inter hæc pleriq; adolescententes ardentissimo mecum amore coniuncti certatim me aduẽtũ alij dissimulanter, et furtim, alij simpliciter, liberẽq; hortantes, ne amplius tot hoium desideria protrahi sinerẽ, ederem ipse commentarios uel uolente patruo, uel inuito, audisse se a præceptoribus suis nihil fieri aut studiosis utilius, aut eruditus gratius, aut latinæ lingue comedius posse, si tantũ a me beneficiũ consequantur, omnes mihi obnoxios perpetuo futuros. Vix possem exprimere quo statim ardore flagrauerim id opus ededi. Subreptis itaq; mox ex bibliotheca patruu commentarijs cœpi clam legere quæ notauerat, ubi quantũ diu boni rerum, quantum uerborum, quantum uerborum, quæ interpretationes uocabulorum, quæ explicatio elegantiae, ac proprietatis latinæ lingue, quæ fabularum monumenta, quæ lumina historiarum, quæ dignitas exemplorum, atq; maiestas. Certe non liber mihi, sed thesaurus quidam inuisus est optimarum in omni genere rerum, ac reconditarum. Hinc grammatice, hinc Rhetores, hinc poetæ, hinc Dialectica, hinc earum artium, quas liberales uocant, studiosi, hinc Medici, hinc Philosophi, hinc ciuiles ac pontificij iuris antistites, hinc rei militaris periti, hinc Agricola, hinc Pictores, hinc Architecti, hinc fabri omnes, atq; opifices multa, et penè infinita haurire possunt eorum studijs necessaria, et ita necessaria, ut affirmare ausim plurima eos nisi hæc legerint, ad ipsorum disciplinae, artesq; maxime pertinentia ignoratuos, ne dicam in multis, ut nunc faciunt, pmanisuros erroribus, quos si hæc legerint, aliquando recognoscẽt, et hoc opus non unius poetæ, sed omnium latinorum authorum commentarios iure optimo dici posse intelliget. Non potui patruum meum tantus non dãnare, quod in tanto consensu honestissima rogantiũ durum se potius negando, quam constantẽ ostendcret. Et quod Diuus Augustus fecerat in uerba illa prorupi. Tam sacrum soluetur opus? tot bella, tot enses, in cineres dabit hora nocens, et perfidus error? Quid plura, Ac cœxi me statim operi, et quanto potius studio, labore, uigilantia ab illo ubicunq; nota excerpti, in ordinemq; rededi. Nihil autẽ ferẽ de meo addidi præter quã quod loca quædã, quæ ille quoniã impuritate quadã, atq; obscenitate uerborum castis, ac pudicis auribus execrabilia uiderentur, cursim, breuiterq; tetigerit, ipse latius exposui, nihil tam fixu esse exi

stimans, quod non turpissimum sibi ignorare. Ita praeterea opus digessi, ut si quis sola huius poetae interpretatione contentus esse uelit, detererit libri magnitudine non possit. habet enim singula quaeque epigrammata suam suam in principio summam expressam. Deinde ubi rubrae sunt, ac grandiuscula litterae, uis uocabuli, siue fabula, siue historia ad cognitionem auctoris necessaria succincte ostenduntur, quibus uero quae praeter intellectum poetae nihil optabunt, poterunt esse contenti. De caeteris uero tantum sumere cuique fas erit. quantum uolet, cum in fine operis, quod singulis libris continetur seruato litterarum ordine ueluti quibusdam tabellis mirifice sit expressum. Proferant autem me tam expetitum, ac desideratum opus emittere, illud magis, ac magis accendit, atque insulam, quod nescio quem uilissimum paedagogum non puduit nuper, ut est omnium impudentissimus plerasque suas esse sacratio patrii mei sumptus (hunc enim humanissime semper omnibus exposuit adire frequens discendi gratia solebat) tanquam suas promere, et tam praeclearis inuentis impudentissime gloriari. Nullum enim ultionis genus in hanc belluam accommodatus fore existimo, quam ut omnes hac nostra editione illius furta, uel potius sacrilegia recognoscant, et hominis temeritatem, scelus in gratitudinemque condonent. Recognoisci autem furta facillime poterunt ex errorum multitudine, cuius commentarium eius undique sciant, quorum bonam partem patrius meus duobus epistolarum Romanarum, scilicet ac Perusinarum praeclearis uoluminibus ostendit. Quis enim ita desipiat, ut auctorem alicuius praeclearae suae existimaturus sit eum, quem tam frequenter, ac pueriliter errare, labique cognoscit? Cui ipse quoque, quod omnium miserissimum est, negare non poterit, quod erit turpissimum fati. Nec uero me ab hac edendi auditate deterret, quod grauiter, atque indigne hoc latrum patrium meum simile ueri uideatur. Neque enim recuso, si ita res ferat, poenas luere ad honestissimum factum, et subire optimi Pontificis qualecunque indignatione malo, quam aut hanc iniuriam facere lucubracionibus eius, ut diutius in tenebris lateant, aut hanc gloriam relinquere sordidissimo paedagogo, ut aliorum inuenta sibi ascribat, aut tot eruditorum hominum praesidia desideria, uota continere, ne dicam perpetuum posteritati danum inferre. Sed inuenisse me modum opinor, quo patrii indignatione uitare facile possim. Nam cum te Federice princeps unum ex istis esse cognouerim, qui hanc commentariorum editionem maxime conciperunt, statui hoc opus tuo sacratissimo nomini dedicare, cuius ille uirtuti, atque auctoritati tantum tribuit, ut te in ista munus minis habeat. colat. ueneretur. Feret certe aequo animo patrius me abs te benigne inuitatum lucubraciones suas tibi uni fecisse coes. Tu uero nunc produisse in lucem, et in eruditorum tandem manus descendisse pro sua in te obseruantia irasci non poterit, aut si poterit, nolet. En igitur librum ipsum, quem cornucopiae, siue linguae Latinae commentarios inscripsi, tibi princeps inuictissime mitto, ut tuo iussu, auspicioque edatur, ob id certe felix futurus, quod te auctore tot eruditi homines ipsum laeti, alacresque excipiet. complectentur. osculabuntur, et certatim laudibus cumulabunt. Sed ob id longe felicius, quod tu omnium primus accipies, et in istud tuum dignum palatium, dignam principis uictore gentium sedem induces, ubi cum omnia cernit marmore, argento, auroque nitentia, et in bibliotheca illa pulcherrima collocabitur. quae uirtus sit, et anima carens, mirifice tam sentire, letarique uidebitur. Legetur aliquando abs te in quo uirtutes omnes uigent, quae desiderari in principe possent. ex periculis humanitate, clementia, benignitate. continentiam tria. contemplabitur tecum porticus, aedes, delubra tanto sumptu, arte, pulchritudineque surgentia. admirabitur in te aulicum simul, ac militarium rerum usum. audiet res domi, ac foris gestas. uictorias omnium opinione maiores. stratagemata. gloria. triumphos, quae uisum, quibus solis cursus terminus, continetur. Admirabitur in te diuinam illam corporis proceritatem. membrorum robur eximium. uenerandam oris dignitatem. aetatis maturam. grauitatem. diuinam quandam maiestatem cum humanitate coniunctam. totum praeterea tale, quale esse oportebat eum principem, quem nuper pontifex maximus, et uniuersus Senatus omnium rerum suarum, et totius ecclesiae summi imperij ducem, moderatoremque constituit. Tuorum praeterea studiorum, atque sermonum comes erit, et participes. Videbit, atque intelliget quem honore dicendi magistrus, quam indignatione sapientiae doctoribus habeas, ut sub te uno spiritum, et sanguinem et patriam bonarum artium studia receperint. quae antehac natali solo priuata, et perpetuo exilio danata uidebantur. O felix, atque in uisum felix liber. Sed utinam mihi Federice princeps unum cum suauissimo patrio meo felicitate ista profui aliquando liceret. Vale princeps mitissime.

VB REVIS COMMEMORATIO VITAE M. VALERII MARTIALIS.

Valerius Martialis in Hispania Bilbili nobili Celtiberiae oppido natus est, patre Frontone, matre Flacilla. Venit ad urbem Romam studiorum gratia, tenuisque suopellectile contentus, in literis dicitur at uersatus est. Scripsit librum Epigrammatum, ut laudaret honestam, hortaretur homines ad uirtutem, et uitia sui temporis notaret, quod admissis semper salibus, et ferè cum risu facit, ut mos est scribentium Epigrammata, hoc enim a Satyris differunt, quod illi uitia tantum carpunt, hi et honesta laudant, et ad uirtutem hortantur. Illi graui, atque aspera oratione stomacho semper pleni, hi blando sermone, atque iucundo scelera suorum temporum notant. Illi longo plerumque lemmate, et uerborum copia id faciunt, hi carptim, et breui sermone, atque collecto. Vnde haec Epigrammata hoc est inscriptio nes dicuntur. Illi in personis et propriis nominibus inuehiunt, hi fingunt noua nomina, propriis parcunt, quod de se hic poeta testatur dum ingit. Nunc seruare modum nostri nouere libelli. Parcere personis, dicere uitijs. Excessit facundia, ac amine, copia, suauitate, salibus omnes, qui ante, et post eum carmina scripsere. Laudat simul, atque reprehendit acriter, et ardeat, nec minus polite, et ornate. Habebat uelut innumeratas suas aptas semper, et crebras, graues, et decoram structuram, sonantia uerba, et antiqua, quaedam ipse fingit aptissime. Sunt plerumque in sermone eius latentes aulei. Suspensum est aliquando lectorem relinquit, et aliquid uult illum augurari potius, quam legere. tanta praeterea in eo copia, tanta rerum uarietas est, atque cognitio, quantum apud nullum uel graecum, uel latinum auctorem esse contenderim. Floruit temporibus Domitiani Nerae, et Traiani, quibus uarijs modis in hoc opere assentatur, idque ratione facit, ut per ea, quae in istis esse commemorat, quales et ipsi, et caeteri principes esse debeant, ostendat. Hinc sepe aedificia, porticus, templum, uenationes, ludos, stratagemata imperatorum, aliorumque uirorum, ac mulierum commemorat. Etenim mos apud ueteres fuit, quoniam monere simpliciter principes piculosum uidebatur, per ironiam eos hoc est assentando docere. Sic omnia huius poetae epigrammata aut bona sunt, in quibus uidelicet simpliciter, atque aperte ad uirtutem hortatur, aut mediocria, in quibus ea laudat, quae turpia non sunt, sed aliquid habent honesti, aut mala, in quibus uitia hominum carpit obscenis uerbis, et turpibus. Hoc est quod poeta ipse ad Auitum libro primo scribit. Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura, quae legis, hic aliter non fit Auite liber. Amicos habuit Plynium secundum oratorem, Stellamque, et Silium poetam, ad quos saepenumero scribit. Publicis quoque honoribus functus est, donatus equestri dignitate, praetura, et iure trium liberorum. In grauescente demum aetate, radio urbem inuenerunt rerum affectus, in Hispaniam redijt. Obijt in natali solo inter suos magno doctorum omnium more praesertim Plynij, cuius epistola extat in qua audisse scribit Martiale decessisse, idque moleste ferre, quia uir erat ingeniosus, acutus, et plurimum inscribendo salis haberet, et felix, nec candoris minus. Librum hunc epigrammatum eo ordine scripsit, quo in praesentia legitur, primis epigrammatibus exceptis in quibus spectacula, et ludos sui temporis describit. Haec in antiquis codicibus non reperiuntur, haud tamen dubium est Martialis esse.